

Q. 240
7

x 204 6700

Za
6235

MEMORIA
CHRISTIANI
DAUMII,

Magni nominis Critici, & Philologi,



Quam

PRO LOCO
in



AMPLISS. FACULT. PHILOSOPH.
benevole sibi tributo,
disputando renovabit

M. JO. CASP. LOESCHERUS,
Erfurt.

RESPONDENTE

MART. Gotthelf LOESCHERO,
Cygn.

Ad D. Febr. A. O. R. clb lbc I.

In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ,
Typis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.

[no. 1707]


23



125 vi

100000

OLD PAPER



OLD PAPER

OLD PAPER

OLD PAPER

OLD PAPER



qv
re
leb
au
co
sta
Ep
lau

125





J!
MEMORIA
CHRISTIANI DAUMII.

§. I.



Raeclare & sapienter,
a majoribus quondam consti-
tutum erat, ut virtuti summus, is-
que perpetuus honor esset, utque
hujus rei fructus, & viventibus
abunde constaret, & ad eos quoque,
qui jamdudum vita excesserant, pertineret. Quippe de
re publica & literis bene meritorum honori valde consu-
lebant, operam atque studia sua conferentes, ne oblivio
aut tempus eorum memoriam deleteret. Quod satis
constare potest ex tot veterum monumentis, epitaphiis,
statuis, nummis, aliisque virtutis antiquae documentis.
Epitaphia magnificis inscriptionibus, quae de extinctorum
laudibus, rebusque prudenter & feliciter gestis testimoni-

A 2

um

um quasi dicebant, exornare solebant, quae a *Scaligero*,
Grutero, *Reinesio*, *Sponio*, & *Fleetwoodo*, quos prae caeteris
commendant, aliisque magni nominis viris collectae,
rem literariam non parum illustrarunt. Cujus quon-
dam pretii statuæ fuerint, neminem, nisi hospitem in an-
tiquitatis studiis, praeterit. Neminem enim fugit Athe-
nienſes tanti aestimasse statuas, ut de eis, quibus valde de-
vincti erant, praeclare agi arbitrarentur, si ipsis statuas
ponerent. Quibus haud raro veteres superbas inscripti-
ones addebant, qualis erat, quam in statuæ *Proaeresii*, viri
eloquentis, lectam fuisse accepimus: REGINA, RERVM.
ROMA. REGI. ELOQVENTIAE., quemadmodum *Chri-
stophorus Adamus Rupertus* in *Diff. ad Valerium Maximum*
Lib. V. c. II. §. 3. ex *Eunapio* retulit. Omitto alia, quae
ad statuarum dignitatem declarandam faciunt, & quae
Principes Eruditorum, *Scaliger* & *Casaubonus*, ut de aliis
non dicam, in doctissimis scriptis suis passim de hoc ar-
gumento annotarunt. Praeter hanc consuetudinem me-
rito commendandam illa etiam laudibus praedicanda est,
quando veteres summorum virorum imagines in numis-
matibus exprimebant, sive illi adhuc in vivis fuerint, sive
jamdudum naturae debitum reddiderint. Quippe in
nummis licebat quondam intueri *Homerum*, *Solonem*,
Charondam, *Pythagoram*, *Euclidem*, *Socratem*, *Apollonium*,
Hippocratem, *Archimedeum*, *Pittacum*, *Lycurgum*, *Zaleu-
cum*, *Chrysippum*, aliosque, quorum magnus numerus
in promptu est. Ex his *Charondas* in numismate Cata-
nensi observatus peritissimum harum literarum virum,
Raphaelem Trichetum ita affecit, ut elegantem de hoc
nummo epistolam, ad *Petrum Seguinum*, rei nummariae
studiosissimum, perscriberet. De nummo *Homeri*, aliis-
que

que legi potest incomparabilis *Ezech. Spanhemii liber de
Ufu & praestantia Numismatum pag. 487. &c.* Per hu-
jusmodi monumenta magnorum doctorumque virorum
memoria feliciter conservata fuit, tametsi nolim diffi-
teri, libros ad eam rem magis idoneos esse, atque accom-
modatos. Quod vitae virorum, literis ac doctrina prae-
ditorum, a multis scriptae declarant, quorum catalogum
contexere non opus est, nisi integro operi laborem im-
pendere animus esset. Ex his tribus praecipue vitarum
scriptoribus palma deferenda esse videtur, *Joachimo Ca-
merario*, qui *Philippi Melanchtonis*, *Georgii, Principis
Anhaltini*, & *Eobani Hessi* vitas scriptas reliquit, *Petro
Gassendo*, cui summi *Peirescii*, *Tychonis Brahei*, *Nicolai
Copernici*, aliorumque vitas debemus, & *Paulo Gualdo*,
qui doctissimi *Pinelli* vitam, & res gestas eleganter expo-
suit; quos etiam *B. Morhoffius*, cum permultis aliis ex e-
ruditorum ordine, maximis laudibus extulit. Enimvero
hujus generis scriptores non abs re doctis valde proban-
tur, cum propter summum, quod ex ea re ad rempu-
blicam literariam venit, emolumentum, tum etiam pro-
pter laudes & elogia, quae bene de republica & literis
meritis impertiri debent. Quae mihi quoque causa fu-
it, ut de commodo dissertationis argumento deliberanti
constitutum decretumque fuerit, *B. Daumii*, mei quon-
dam Praeceptoris ad cineres colendi, memoriam reno-
vare, atque adeo summi hujus Critici vitam, mores, scri-
pta, singularia, & quae porro ad hoc argumentum spe-
ctare videbuntur, breviter enarrare, quos conatus ut for-
tunet, Divinum Numen supplex obrestor.

§. II.

Quam rem dum aggredior, me operae pretium facturum esse plane confido. Non obscurum est B. Daumii nomen, & diu multumque Doctorum virorum scriptis, eorumque sermonibus celebratum. Floruerunt ante aliquot decennia viri varia doctrina ornatissimi, *Casspar Barthius*, & *Thomas Reinesius*, qui tanto studio literis operati sunt, ut nemini Eruditorum suae aetatis concesserint. His jure meritoque annumerandus est Daenius, qua in re consentientem habeo magnum Hetruriae virum, *Joannem Cinellium*, qui Barthium, Reinesium, atque Daenium Triumviros in elegantioribus literis appellare, eisque principem quasi locum inter doctos ejus temporis tribuere non dubitavit. Quis *Casspar Barthius* fuerit, nemo ignorat, cujus scripta tanti putata sunt, ut Christianam Sveciae Reginam partem Adversariorum Barthii nondum editam 5000. florenis redimere voluisse perhibeant. Nec *Reinesio* nomen defuit, quem Galli etiam, quod quidem raro accidit, coluerunt, & admirati sunt, quorum Potentissimus Rex, *Reinesium*, *Conringium*, *Hevelium*, atque *Wagenfeilium* liberalitatis suae testes esse voluit. Quam quidem Regis liberalitatem Daenius non expertus est, quod tamen non obstat, quo minus cum Reinesio Barthioque comparari, iisque exaequari possit. Quippe ejus doctrinam exterorum doctissimi, *Menagius*, *Nicolaus Heinsius*, *Stephanus Baluzius*, *Graevius*, & *Magliabecchius*, & infiniti fere alii magni fecerunt. Praecipue vero Baluzium & Magliabecchium quandoque dixisse ferunt, se mirari satis non posse, quod tantus vir non sit summo in Germania loco. Permulti ex doctis literis cum Daenio collo-

collocuti sunt, inter quos ex Italia *Antonius Magliabechius*, & *Ioannes Cinellius*, ex Gallia *Emericus Bigotius*, *Stephanus Baluzius* atque *Aegidius Menagius*, ex Belgio *Gronovius*, *Nicolaus Heinsius*, *Io. Georg. Graevius*, *Thomas Munckerus*, *Samuel Monachus*, & *Thomas Ryckius*, ex aliis regionibus *Marquardus Gudius*, *Henricus Meibomius*, *Ioannes Schefferus*, *Thomas & Caspar Bartholini*, *Esaias Puffendorffius*, *Iobus Ludolphus*, *Bosius*, *Heckelius*, *Vincentius Placcius*, *Bartbius*, *Reinesius*, & *Hanckius* praecipue commemorandi sunt, quorum plerosque doctus quidam Daumii discipulus collectos annotavit. Nec reticendum est summum rei literariae ornamentum, *Conr. Sam. Schurzfleischius*, cuius duae epistolae ad Daumium, & hujus multae ad illum, extant. Vid. ejus *Epistolae* p. 95. & 493. Ep. 71. 344. Hi itaque, & non pauci alii, summis saepe elogiis Daumium ornarunt, quae etiam, nulla tamen ambitione ductus, ipse collegit, ut in *Epistolis ad Heckelium* pag. 103. fatetur.

§. III.

Quibus praemissis ad ipsam Daumii vitam progredior, quam ita enarraturus sum, ut, quae ad studia, conatus, virtutesque pertinent, peculiari loco recenseam. Editus igitur est Daumius in lucem Cygnaeae, anno post recuperatam salutem, cl. 16c XII. Patre Dav. Daumio, qui, ut & alii ex Daumii majoribus, eandem nactus est patriam, Cygnaeae nobilis regionum Saxoniarum civitas, olim Imperii urbibus ascripta, multos varia doctrina excultos viros protulit, *Janum* scilicet *Cornarium*, virum magni nominis, & doctrinae singularis, *Georgium Pylandrum*, & *Gre.*

& *Gregorium Haloandrum*, Graece doctos, nec non *Joa-*
cbimum Fellerum, Professore in Academia Lipsiensi quon-
dam celeberrimum, qui de claris Cygneis peculiari li-
bro egit, & de reliquis, quos missos facio, evolvi potest.
Cum per aetatem liceret, statim Praeceptorum curae cre-
ditus est, a quibus optimis artibus ad humanitatem infor-
matus, magnos in literis progressus fecit. Quae enim
tradebantur, celeriter arripiebat, & non committendam
putabat, ut condiscipulis in aliqua laudis parte esset infe-
rior. Ex quo factum est, ut omnes, qui cum eo scho-
lam frequentabant, ingenii industriaeque laude anteiret.
Testatus est Daunius ipse, se octavo aetatis anno lin-
gvam Graecam Latinamque mediocriter calluisse, versi-
busque scribendis jam dedisse operam. Deinde cum ae-
tate crescebat ejus doctrina, tametsi pleraque sine Prae-
ceptorum opera addidit. Qua ingenii felicitate discen-
diqve alacritate Patronorum, maxime vero *Christ. Rich-*
teri, Antistitis Gerani, favorem sibi conciliavit, a quo se
variis beneficiis cumulatum fuisse, grata voce menteque
fessus est. Ex Praeceptorum suorum numero maximo-
pere commendabat *Ioannem Zebendorffium*, de lingvis
orientalibus immortaliter meritum, summamque nomi-
nis gloriam consecutum. Vitam Academicam non prae-
propere, (quae multorum est consuetudo, qui fundamen-
tis non bene jactis se ad altiora conferunt) affectavit, sed,
cum dudum dignissimus haberetur, tandem Lipsiam, tan-
quam bonarum artium mercaturam, petiit, ubi tamen
sedem diuturnam collocare per calamitatem temporum,
& luem pestiferam ipsi non licuit, quae, cum deserbuif-
set, iterum veniendi copiam Daunio fecit, qua occasio-
ne in Barthii, aliorumque Eruditorum amicitiam venit.

Ex A-

Ex Academia redux, quae semper coluerat studia, constanter amplexus est, & deinceps ad munus scholasticum vocatus, omne tempus, quod lucrari poterat, literarum studiis tribuit. Quam industriam, cum Cygnei non ignorarent, ipsi, qui haecenus tertium inter Praeceptores locum tenuerat, Rectoris munus ultro libenterque detulerunt, quod ita explevit, ut omnibus, qui scholis praesunt, egregio possit esse exemplo. Quae interea scripserit Daumius, de industria hic silentio praetermitto, dicturus postea de iis, quae ad Daumii virtutes, conatus, & scripta spectant. Ad conjugium bis animum appulit, & primum quidem sterile fuit, ex altero vero prolem utriusque sexus sustulit; & praecipue filius summis honoribus auctus aetatem in his regionibus degit. Caeterum Daumius ad summam fere senectutem vixit, & tandem, cum annos LXXV., & quod excedit, (nam septuagesimus sextus fere finitus erat) confecisset, e vita exiit. Quapropter Daumius eis annumerandus erit Eruditis, qui *μανεῖσθαι* fuerunt, ex quibus praecipue memoria digni sunt, *Nicolaus Causinus, Ludovicus Richeomus, Henricus Savilius, Ioannes Zechendorffius, Ludovicus Septalius, Leo Allatius, Ludovicus Sammarthanus, Iacobus Pontanus, Iulius Pacius, Melchior Sebizijs, Theophilus Raynaudus, Scipio Claromontius, Gisbertus Voëtius, Petrus Molinaeus, Thomas Hobbesius, Robertus Constantinus*, & qui ad 108. aetatis annum pervenit, *Ioannes Lopezius*, si Henningo Wittenio tradenti fidem habemus, & alii, quos, cum instituti ratio non ferat, silentio praetermitto.

§. IV.

Vita B. Daumii breviter exposita, pergo ad reliqua, quae ad eam ulterius illustrandam faciunt. Quae ad duas commode classes revocari possunt, & partim B. viri virtutes, quibus floruit, respiciunt, partim ad ejus in rem literariam merita referenda sunt. Primo itaque loco de ipsius virtutibus commemorabo, ut appareat, eum laudibus per dignum fuisse, quibus viri doctissimi saepe eum cumularunt. Imprimis autem Pietas ejus laudibus ad coelum ferenda est, ideo, quia Divinum Numen sanctissime semper coluit, & nihil sibi arroganter tribuens, omnia ipsi accepta tulit. Non erat ex eorum numero, qui cum *Spinosa*, & similibus, v. g. *Julio Caesare Vannino*, & aliis, male de Deo sentiunt, aut cum *Angelo Politiano*, & *Petro Bembo*, quibus tamen suam in reliquis laudem detrahere nolo, abjecte de S. Scriptura loquuntur, aut qui Magiae illicitae, & superstitionibus Judaicis sunt dediti. Non enim committendum esse existimabat, ut se gravioribus peccatis vitiisque inquinaret, aut ea ageret, quae virum bonum, maxime vero Christianae religioni ascriptum, dedecent.

§. V.

Nemo certe, cui doctorum virorum vitae cognitae perspectaeque sunt, inficias ibit, multos ex horum numero in invidiae vitium delapsos esse, de quo argumento *Theophilus Spizelius* in docto *de Vitiis Literatorum* opere, *Daniel Bartolus* in *Literato defenso & emendato P. II.*, &

Man.

Mancinus in libro *de invidia Literatorum* non absque fru-
ctu legi possunt. A quo vitio Daenius sibi diligenter
cavebat, quod eo magis in laude ponendum est, quo plu-
res ex literatorum ordine aliorum honori laudibusque
invidere non erubuerunt. Ab hoc enim animi morbo sic
abhorrebat, ut viro docto valde indignum duceret, & in
eos haud raro inveheretur, qui pessimo hoc vitio dignita-
tem splendoremque literarum inquinaverant. Quod ve-
ritati conveniens esse, omnibus perspicuum exploratum-
que est. Vitio adhuc vertitur *Iacobo Sylvio*, quod etiam
Discipulorum suorum progressus in literis aegris oculis
aspexerit. Sic quibusdam Romanae fidei addictis oppro-
brium fuit, cum aegre ferrent, *Erasmum Roterodamum*
magnam nominis gloriam sibi comparasse, & cum invi-
dia ducti Adagia ejus, opus varia doctrina refertum, ita
ederent, ut, omisso *Erasmi Roterodami* nomine, *Manutii*
nomen ascribendum curarent, prout cum aliis in literas
retulit *Morboffius P. I. Polyhist. L. I. p. 250.*

§. VI.

Quid vero de modestia & humanitate *Daenii* di-
cam? Haec certe in eo plane singularis fuit, ut nemo
fere hac in parte *Daenio* praeferendus sit. Quippe ne-
minem aspernabatur, sed omnes, qui ipsum convenire
solebant, incredibili humanitate complectebatur, sui-
que copiam illis libenter faciebat. Nihil fere constantius
detestabatur, quam superbiam, quae mediocriter doctos
haud raro incessit. Eadem mens & sententia doctissi-
morum virorum fuit, qui saepissime conqueruntur, pe-

Stilens hoc, de quo dictum haecenus fuit, vitium, non solum in semidoctorum, verum etiam quandoque indoctissimorum animis altissimas radices agere. Non erogam multus in enarranda incredibili quorundam Philosophorum veterum superbia iuxta atque arrogantia; ex quibus *Anaxarchus* ea perhibetur fuisse stultitia, ut sculam suam coelum, praecepta vero stellas, nomina & verba signa Zodiaci esse arbitraretur, atque seipsum solem appellaret, quem nemo diu posset intueri. Ex recentioribus haud pauca exempla in medium proferri possunt, sed instar omnium sit *Hieronymus Cardanus*, doctissimus quidem scriptor, sed cui multa, eaque gravia non absque causa exprobrari solent, quippe qui inventa ingenii sui tanti putare non erubuit, ut ea a nemine inveniri potuisse asseveraverit. Plurima, quae ad hoc argumentum illustrandum spectant, magnum, cum viveret, Augustae Vindelicorum ornamentum, *Theophilus Spizelius* in allegato *de Vitiis Literatorum* libro, Comment. II. literis memoriaeque prodidit.

§. VII.

Adhaec Prudentia Daumii nostri in omni vita singularibus elogiis dignissima esse videtur, siquidem nihil temere agebat, sed semper circumspiciebat, quae ex re essent, & unde detrimentum aliquod accipi posset. *Barthio Reinesioque*, summis aemulis, familiariter utebatur, & utriusque amicitiam, quod perdifficile alias est, ita sibi servavit, ut uterque Daumio bene cuperet, suisque eum studiis ac beneficiis prosequi non intermitteret. Interim

terim saepe in Reinesio amice reprehendebat, quod Barthium tanta vehementia insectaretur, quia omnia, quae ab illo vocabantur in controversiam, vel amice potuissent componi, vel modestius moneri. Daenius certe ab hoc reprehendendi insectandique studio remotissimus erat, non ignorans, rempublicam literariam maximum ex ea re damnum capere, atque eandem in causa esse, ut docti ab indoctis abjiciantur, & nullo loco numerentur. Quo magis itaque dolendum est, eruditissimos quandoque viros se invicem exagitare, atque perstringere, & magis videri adversarium probris maledictisque vexare, quam rei literariae causa aliquid in controversiam adducere. Quod veterum *Sophistarum* vitium erat, cum quibus illud non paucis ex scriptoribus recentioribus commune est, quorum exempla jam cumulare nolo, quod tamen proclive esset, si ea, quae alia occasione tradita sunt, hic repetere, & praeterea non pauca, quae in promptu sunt, adungere deliberatum esset. Ut vero reliqua vitia, quae Daenius, ut in proverbio est, cane pejus & angve fugiebat, omittam, certe avaritiam maximopere odit. Pecuniae enim faciendae non erat cupidus, sed potius operam dabat, ut bibliothecam suam rarioribus doctioribusque libris locupletaret, quod etiam studium libros colligendi ipsi ex sententia processit. Brevi enim factum est, ut ea instructus esset Bibliotheca, quae omnium, qui ejus videndae causa accedebant, summam excitaret admirationem. Possidebat etiam varia, eaque melioris notae, manuscripta, quorum catalogum adderem, si per angustiam chartae liceret. Summa editionum varietas inter scriptores antiquos se in hac Bibliotheca offerebat, unde

unde satis apparet, egregia subsidia ex ea peti potuisse ad scriptores antiquos cum selectioribus observationibus notisque edendos.

§. IIX.

Deinceps non sibi solus sapere videbatur Daenius, sed de aliorum quoque meritis recte candideque existimabat. Enimvero φιλαυτία literato homini dedecori esse probe tenebat, quod ipsa etiam sana ratio comprobat. Quandoquidem vulgus nihil majori vehementia doctis exprobrare solet, quam si nimium sibi tribuunt, atque aliorum merita pro nihilo putant. Unde quandoque accidit, ut rudes & imperiti homines, qui permulta non tam ex rei veritate, quam sua opinione aestimant, paucorum culpam in omnes, vel saltem plerosque, transferant. Quae veterum Philosophorum fortuna fuit, quorum fere plerique in superbiorum numero habiti sunt, tamen non omnes ex eorum ordine eo se vitio contaminarint. Quinam ex recentioribus eo nomine reprehendendi sint, non opus est exponere, cum apud *Spizelium*, & *Bartolum*, in libris allegatis, nec non apud *Iannum Nicium Erythraeum in Pinacotheca*, plura hujus argumenti non sine jucunditate legi possint. A gloriae cupiditate nimia Daenius non minus fuit alienus, quo tamen vitio multi ex Philosophis antiquis se macularunt, quos *Tertullianus* ea de causa acute *Animalia gloriae* nuncupavit. Vid. *Christ. Kortbolts Comment. in Justin. Mart. Apolog. fol. 21.*

§. IX. Non

§. IX.

Non desunt alia, quae de B. Daumii virtutibus praedicari possent quae tamen mitto, eo quod multa adhuc restant de ejus studiis scriptisque tradenda. De *Gulielmo Budaeo*, & *Hadriano Turnebo*, viris incomparabilibus, relatum legimus, eos ne quidem nuptiarum die sibi a studiis temperare potuisse, quin eis aliquot horas darent. Cum his Daumius merito comparandus est, quippe cujus tanta fuit industria, ut vix alius ipsi praeferi, paucissimi vero aequiparari possint. Praecipue lucubrationibus deditus erat, unde factum est, ut variis, qui inde oriuntur, morbis affligeretur, & oculorum praecipue lumen magis magisque imminui non absque tristitia sentiret. Occupabatur fere semper in excerptis libris, & notandis iis, quae doctissimos libros legenti observatione digna esse videbantur. Quod excerpti studium suis magnopere commendabat, saepissime eis inculcans, nullum esse librum tam malum, ex quo non aliquid boni describi, & annotari possit. Solebat etiam in discipulorum libris varia summam doctrinam redolentia, & eruditissimis quandoque ignota, quasi ludendo sua manu ascribere, quales libelli adhuc possent desiderantibus facile ostendi. Unde nemini mirum videri debet, Daumium tantos in arte Critica thesauros sibi collegisse. Scriptores enim aevi studiose evoluit, eaque occasione vastissimos indices Criticos confecit, ut docti cujusdam Galli Glossarium, quod ea natio laudibus ad coelum tulit, cum Daumii indicibus ne quidem comparari possit. Erant ex amicis nonnulli

nulli, qui aegre ferebant, orbem literarium tantos the-
sauros ignorare, hortantes haud raro eum, ut saltem spe-
cimen aliquod ederet, ex quo intelligi possit, quam prae-
clare sua industria de literis esset meritus, quod si fecisset,
nullam fere laudem eis, qui hac in re aliquid ediderunt,
reliquisset.

§. X.

Neminem praeterit, doctis viris, cum aliarum li-
terarum, tum maxime vero humaniorum, ut commu-
niter appellantur, fructum nunquam non constare. Quod
cum secum reputaret Daenius, multum laboris atque
operae in eis excolendis consumpsit. Nihil enim eo-
rum intermittebat, quae vel ornamento eis esse, vel ob-
scura illustrare, aut explicare posse videbantur. Itaque
non Latinae solum linguae valde studuit, (quod testatur
doctum ejus scriptum, *de causis amissarum Latinae linguae
Radicum*) verum etiam Graecas literas non minori in-
dustria coluit. Cujus etiam linguae indices sua manu
confecit, qui instar Glossarii Graeci perfectissimi esse pos-
sunt. Quod eo majori elogio dignum est, quo pluribus
hae literae sordent. Apparet enim, eas hac nostra ae-
tate fere jacere, & paucos his studiis esse deditos, ramer-
si majores nostri maximo studio illis operati sint. Non
dicam multa de *Philippo Melanchtone*, *Petro Mosellano*,
Joachimo Camerario, *Ioanne Caselio*, *Iano Cornario*, *E-
rasmo Schmidio*, *Luca Holstenio*, *Io. Leunclavio*, *Ioanne
Posselio*, *Friderico Sylburgio*, *Gvilielmo Xylandro*, *Mar-
tino Crusio*, *Davide Hoeschelio*, *Hieronymo Wolffio*, *Con-
rado*

rado Rittersbusio, Conrado Dinnevo, Xisto Betulejo, Wolfgango Musculo, Melchiore Volmario, Nicodemo Frischlino, Bilibaldo Pirckbaimero, Ioanne Vollando, Laurentio Rhodomanno, Vito Winsbemo, Paulo Dolscio, aliisque Germaniae nostrae luminibus, quorum omnium numerus vix iniri potest. Quibus majoribus B. Daumius haud indignus fuit, quippe qui a pueris operam dedit, ut Graecae linguae praecepta, & quae ad has literas pertinent, animo & memoria contineret. Magnam ipsi laudem in hac literarum parte scripta doctissima pepererunt, v. g. *Indagator & Restitutor Graecae & Latinae linguae radicum*, nec non libellus *de Nullitate Aoristi secundi & Futuri secundi*. Non vero solum Graecam & Latinam, linguam maximi fecit, sed etiam orientales linguas in deliciis semper habuit, quibus alias etiam adjunxit. Callebat enim Hebraeam, Turcicam, Gallicam, Italicam, Hispanicam, & Bohemicam linguam. Maxime vero Arabica, utpote quae Eruditorum paucissimis perspecta est, afficiebatur, quam quidem Praeceptore Zechendorffio, cujus honorifica mentio jam in §. III. facta est, feliciter addidit, & semper in ea se exercuit. Unde satis liquet, Daumium cum in aliis literarum partibus, tum maxime in illis praeclarum fuisse, quae prae caeteris arduae atque difficiles, multiqve adeo, ut cum Cicero loquar, sudoris sunt.

§. XI.

Praedicanda magnopere, & summis laudibus celebranda est eorum literatorum consuetudo, qui cum elo-

C

qven.

quentia, lingvarum studio, aliisque elegantioris doctrinae partibus Poëseos studium coniungunt. Haec enim res & doctorum virorum laudi conducit, & multum ad perficiendam eorum eruditionem confert. Non enim diffideri possumus, permulta in Graecorum juxta, ac Latinorum Poëtarum scriptis, eorumque lectione occurrere, quae homini ad perfectam eruditionem aspiranti, variisque, quae libero homine dignae sunt, artibus perpolito obscura esse non debent. Qua in re omnes fere docti una mente & voce consentiunt, quorum summa auctoritas nobiscum facit, ut adeo illi, qui id inficias ire conantur, exquisitis rationibus convinci possint. Accedit, quod priscis temporibus studium verius faciendi huius fuerit pretii, ut his temporibus Philosophia & subtilis doctrina astricto sermone tradita sit. Nec dubitandum esset, maximum sapientiae thesaurum, & infinita, quae adhuc abscondita sunt, antiquae doctrinae capita cognita nobis & perspecta fore, si Philosophica haec antiquissimorum Poëtarum carmina extarent. Tametsi autem nobis eorum copia nunquam fortasse facienda sit, id tamen nihilo secius certum perspicuumque est, multa in Poëtarum Latinorum atque Graecorum scriptis dari, quae literatis maximo usui esse possint, & ex quibus adeo constare queat, studium Poëseos a viris doctis nequaquam esse alienum. Quod B. Daumio satis comper- tum erat, quippe qui studia sua in cognoscenda hac arte versibusque scribendis a primis annis posuit. Nullus fere erat aliquo numero Poëta, quem non legerit, & ex quo non aliquid annotaverit; unde locupletissimos indices Poëticos conscripsit, qui cum reliquis ejus indicibus
& glos-

& glossariis de incomparabili ejus eruditione testari possunt. Evolvebat autem, cum veteres, qui primo loco legendi sunt, Poëtas, tum etiam Christianos, quos singulari studio conquirebat. Magnum itaque Poëtarum hujus generis numerum possidebat, quorum haud paucos edidisset, si longiori vita frui licuisset. Praecipue etiam literis memoriaeque prodendum, B. Daumium mira felicitate discipulos his studiis imbuisse, ut & versus facile pangere, & Poëtarum constructiones, haud raro valde obscuras, facile potuerint intelligere. Poësin praeterea auxit *novis* quibusdam *carminum generibus*, ad imitationem Pindaricorum, aliorumque Graecorum inventis. Habebat libellum MSC. propria industria elaboratum, in quo egregia versus complendi, variandi, & exornandi artificia continebantur. Assuefaciebat discipulos suos, ut eandem sententiam centies, vel saepius, carmine redderent, qua in re ipse tantus artifex fuit, ut unum versum millies & amplius variare posset. Varios etiam carminum libros composuit, partim in honorem ecclesiae Cygnae Antistitum, partim alia occasione scriptos, cujus generis sunt, *Vertumni Poëtici, Jamborum & Anacreont. liber.* Ex quo satis liquet, dignissimum esse Daumium, ut inter *Poëtas Criticos*, de quibus Dissertatio satis proluxa facile scribi posset, non infimum locum teneat, atque adeo cum *Marco Antonio Mureto, Daniele Heinsio, Augusto Buchnero, Dan. Georgio Morhoffio, Petro Dan. Huetio, Petro Francio, & reliquis*, qui ad doctrinae laudem ingenii & carminum gloriam adjecerunt, jure meritoque conferatur.

§. XII.

Progredior jam ad reliqua B. Daumii studia, & praecipue ad Critica, quae in arte inter multos prope singularis fuit, ut asseverare non dubitem, admodum paucos esse, qui pari fide atque industria his literis operam navarunt, aut scriptores notis suis illustratos in lucem ediderunt. Nec mirum hoc videbitur, si quis secum reputabit, quam curam & diligentiam in hisce studiis excolendis adhibuerit. Nunquam enim scriptores antiquos, praesertim aevi medi, legebat, quin ea, quae observabat, aut corrigenda putabat, in indices suos Criticos referret, quorum permultos libros incredibili industria perfectos amicis interdum ostendebat. Extant itaque varii scriptores Daumii notis observationibusque exornati, v. g. *Columbanus*, *Cato*, *Bernardus Geystensis*, *Valo Britannus*, *Porphyrus Optatianus*, & *Henrici Septimellensis Dialogus de fortuna*. Ex his Notae ipsius ad *Porphyrus Panegyricum Constantino Augusto consecratum cum Velferi operibus Historicis & Philologicis*, studio *Christophori Arnoldi* Anno 1682. prodierunt. His addi debent, *Hieronymi Graeci libellus de Trinitate*, & *Gennadii Patriarchae Constantinopolitani opuscula* A. 1677. ed. quos scriptores eadem diligentia notis atque observationibus illustravit. Praeclare etiam de *Paulino Petrocorio*, sive, ut *Jacobus Sirmondus*, & *Philippus Labbeus* scribendum existimarunt, *Petricordio*, meritis est, utpote quem scriptorem, a multis merito maximi putatum, cum doctissimis *Francisci Jureti* Notis, *Animadversionibus Casparis Barthii*, & *Gronovii Observationibus*, adjectis etiam suis

suis Notis typis exscribendum curavit. Ut verò, quantum posset, rei literariae inserviret, multa etiam Barthii scripta cum doctis communicavit, v. g. Animadversiones ad Claudianum Mammertum, ad Gvilielmum Britonem, nec non Statii Papiniani opera, cum ejus Notis, & quaedam alia. Quodsi summa Daumii eruditio, & artis Criticae peritia, non aliunde constaret, ea certe ex folis ejus epistolis satis abundeque eluceret. Varias autem epistolas a Daumio scriptas alii vulgarunt. Doctissimus quondam *Bosius Thomae Reinesii & Christiani Daumii epistolas* ultro citroque scriptas Jenae 1670. edidit, quae summam utriusque doctrinam, rerumque Criticarum copiam, undique redolent. *Epistolae Daumii ad Heckelium*, opera *Jo. Andr. Gleichii* in lucem exierunt, in quibus haud pauca de viris doctis judicia, & alia, quae ad veram eruditionem pertinent, cum insigni doctrinae fructu legi atque evolvi possunt. Eadem fere ratione Actorum Lipsiensium collectores A. C. M. DC. XCIIIX. de his epistolis existimarunt. Non dubium est, longe plures B. Viri epistolas colligi posse, si illi, qui eas possident, operam & studia sua conferrent. Caeterum Daumius non solum doctas epistolas scribebat, sed etiam aliorum literatorum epistolas, maxime, si nondum editae erant, conquirebat; unde *in Epistolis ad Heckelium p. 96.* ipse testatur, se paratum habere thesaurum doctissimarum epistolarum Philippi Melanctonis, Joachimi Camerarii, Claudii Salmasii, Isaaci Casauboni, Dan. Heinsii, Gruteri, Rittershusii, Henrici Stephani, Josephi Scaligeri, Chytraei, Hoeschelii, Taubmanni, & aliorum. Memoriae B. Daumii peculiare schedas & carmina conse-

crarunt, B. Fellerus, Jo. Lud. Praschius, Fiedlerus, Fenselius, V. Winterus, & Stiebelius; praecipue vero Heckelius mortem ejus acerbe luxit.

§ XIII.

His itaque breviter expositis, tandem ad finem Dissertationis properandum est, non ea de causa, ac si de tanto viro plura dici, aut praedicari non possent, sed quia fortasse alio tempore plenius de hoc argumento disserendi copia atque occasio dabitur. Nihil igitur restare videtur, quam ut indicem scriptorum, a B. Daumio elaboratorum, exhibeam. Tamen si enim de plerisque jam dictum sit, operae tamen pretium erit, scripta ejus benevoli Lect. causa conjunctim enarrare. Scripsit itaque B. Daumius *de Causis amissarum Latinae linguae Radicum, de Nullitate Aoristi II. & Futuri II., Indagatorem & Restitutorum Graecae & Latinae linguae Radicum.* Edidit praeterea *Catonem & Columbanum cum Notis, Bernardi Geystensis Palponistam, & Valonis Britannii Satyram cum Notis, Hieronymi Graeci libellum de Trinitate, & Gennadii opuscula cum Notis & Praefatione, Notas ad Porphyrium Optatianum, inter opera Marci Velseri editas, Notas ad Paulinum Petrocorium, cum Paulino Petrocorio de Vita S. Martini, Patrum homilias in Fest. Nativit. Christi, Fabulas Camerarii cum Notis, Episto-*

pistolas Ciceronis a Sturmio selectas cum Notis,
Henrici Septimellensis Elegiam, sive Dialogum de
Fortuna, Casparis Barthii scripta varia. &c. Re-
stant multa, quorum nonnulla maximi momenti
sunt, nondum, quantum constat, edita, v. g. Gy-
nasium Latinae Linguae Zechendorffii auctius, &
in illud Indices analogici, in quibus omnis Latini-
tas, Index in Poetas Farnabianus infinitis modis
ex mille fere Poetis auctus, Indices Latinae Lin-
guae plur. Tom., qui Glossarii Latini perfectissimi
loco esse possunt, Indices Graecae Linguae eadem
ratione conscripti, ut instar Glossarii Graeci perfecti
esse possint, Vitae Poetarum, maxime recentiorum,
Syntaxis Latina, septem tantum regulis constans,
& difficillimas tamen constructiones feliciter sol-
vens, Variarum lectiones ex multis Autoribus prae-
cipue infer. aevi, & Glossarium in Alcimum. In
B. Viri honorem doctissimus Heckelius hoc epi-
taphium fecit: HIC. PLACIDE. DORMIT.
CHRISTIANUS. DAUMIUS. A. C. M.
DC. XII. D. XXIX. MART. CYGNEAE.
HONEST. PARENT. NATUS. DENATUS.
AUTEM. D. XV. DECEMB. A. LXXXVII.
EIUSD. SECLULI. QVEM. VERITAS. ET. O-
MNES.

MNES. PII. QUI. NORUNT. EUM. VIVAM.
OMNIGENAE. SCIENTIAE. BIBLIOTHE-
CAM. INFALLIBILE. ERUDITORUM. ORA-
CULUM. SINGULARE. GERMANORUM.
MIRACULUM. NOBILISSIMUM. EXTE-
RORUM. DELICIUM. DULCISSIMUM. JU-
VENTUTIS. SOLATIUM. AC. RARENTISS.
PIETATIS. PATIENTIAE. HUMANITATIS.
ATQVE. CANDORIS. EXEMPLUM. AE-
QVISSIME. NUNCUPARUNT. RESURRE-
CTURUS. JESU. DUCE. ET. ANGELIS.
COMITIB. IN. SEMPITERNA. GLORIA.
QVANDO. OMNIS. SCIENTIA. HIC. PROR-
SUS. INTERIBIT. AC. UMBRAE. IN-
STAR. EVANESCET.



Handwritten in blue ink: *Ha 35 (11)*

Handwritten in blue ink: *m.c.*

BR 240

x 204

MEMO CHRIS DAU

Magni nominis C



PRO I

AMPLISS. FACUI

benevole fi

disputando

M. JO. CASP. L

Erfi

RESPON

MART. Gotthelff

Cyg

Ad D. Febr. A

In Auditor

WITTEP

Typis CHRISTIANI SCH



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

